

40

P. lat. rec.


974

AD REVEREN-

VM IN CHRISTO PATREM,
DOMINVM VOLFGANGVM GRIESTETE-
um , Præpositum & Archidiaconum Berch-
tersgadensem & Ottingensem &c. Do-
minus ac Patronum optimè de-
sc meritum , Gratulatio no-
mine demandatæ Præ-
posituræ Ottin-
gensis.

Scripta ab Andrea Waldnero
Salisburgensi,

VIENNÆ AVSTRIÆ EX-
cudebat Michaël Zimmerman.



010

A D R E V E R E N
D V M I N C H R I S T O P A T R E M;
D. Dominum Vuolffgangum Griesteterum Prä-
positum & Archidiaconum Berchtersgadens-
sem & Oettingenlem: &c Elegia Io-
annis Secceruitij.

Quam procul Antistes cernis reuerende Thaliam
Ad tua non nota tecta subire pede:
Pannoue celebri venit hæc digressa Lycæo,
Hic vbi cæruleis præterit ister aquis.
Quid ferat, expectas crocei non munera fili,
Nata nec Austriacis dulcia vina iugis.
Hec & præterea quæ nauita multa per vndas
Deuehit, ac varijs mercibus auget opes:
Pierijs sua fata negant adferre camœnis,
Sed precios a tamen munera crede, ferunt.
Nam viget illarum virtus & gloria cantu,
Ad bona quæ magnum gloria calcar habet.
Insignesq; viros tollit sua fama per orbem
Nec sinit in mæstos prorsus abire rogos.
Hec sunt, que superant statuas ac marmora regum
Structaq; Dedalea celsa theatra manu.
His nec Praxiteles, nec pingere doctus Apelles
Nec par Philiacus iætitet esse labor.

A ij Omnia

Omnia sunt ævi varijs subiecta ruinis
Sola necem virtus, doctaq; Musa fugit.
Hoc etiam, reverende Pater, nunc ipse docebis,
Exemplo poteris testis & esse tuo.
Nam quia virtutum studiasti acquirere palmam,
Hacq; tenes partum iam ratione decus:
Et te clarus honor, & lato gloria vultu
In superum sacra collocat æde patrem:
Iamq; nouos iterum titulos, noua iura capessis,
Præmia dum pietas vberiora refert:
Ecce tibi comites gaudent incedere Muse,
Et nomen memori laude sonare tuum.
His quoq; nunc ducibus factum est, his crede Magistrum
Quod tuus hec mittit candida scripta cliens.
Scripta quibus parto latius gratatur honori,
Soluti & in laudes ora diserta tuas.
Et nunc Mæonidæ, magni nunc plectra Maronis,
Siue tuam Naso vellet habere chelyn.
Sed quia nunc ipsi tenera sua messis in herba
Surgit, & ad primas fontis anhelat aquas:
Maluit interea studium sermone soluto,
Quam mutus studium non aperire suum.
Accipe mente pi, quæ mens pia promere iussit,
Officiumq; tui dulce clientis ama.
Qui simul ingenio maior consurget in auras,
Et magis Aonio fonterigatus erit:

In tua

In tua tunc plenam diffundet nomina venam,

Et tuus addic^to pectore totus erit.

Tu modò crescentem studijs, viridiq; sub aeo

Vernantem ingenij respice flore sui.

Grata Deo res est iuuenes pietate fouere

Qui sacra Pieridum carpere dona student.

Hi velut assurgunt plantæ cœlestibus aruis,

Ipsius eniteat numinis unde decus:

Vnde sacrum Christi pastores sumat ouile,

Vnde ferat culti patria ciuis opem:

Vnde senatorum pacatis legibus ordo,

Vnde Machaonie prodeat artis opus.

Cætera quid referam? Vitæ quibus indiget usus

Omnia quæ doctis sunt repetenda scholis.

Hey mihi, cur pauci nunc talia munera curat,

Præsidium nobis, & decus unde venit.

Tu tamen o curare, pater reuerende, benigna

Diceris & studijs mente fauere pijs.

Macte tibi pietas sic numinis alma rependet

Præmia pro meritis digna ferenda tuis.

Ipsò tibi dicet magnas Ecclesia grates

Cuius ab his studijs crescit adauctus honor.

Et quæ doctrinæ Respublica munere floret

Te quoq; dum studijs consulis, ipsa colet

Præcipue dulces tua per præconia Musæ

Æterni tendent carminis ire sono.

*Et te posteritas celebrem mirabitur omnis,
Quà fuerit clario mens tua fida choro.
Ergò age perge decus cœptum pietate tueri,
Perge prec or Musis mitior esse bonis.
Quiq; colunt illas, tibi sunt charissima semper
Turbaq; subsidijs ritè fouenda tuis.
In quibus hu nc iuuenem pius amplectere patronus
Qui studuit laudi deditus esse tuæ.
Me quoq; su cipies placidio si pectore Musa
Quæ nunc nota parum, notior esse potest.*

Ad re-



Ad Reuerendum in

CHRISTO PATREM D. DOMI-
num Wolffgangum Grießeterum, Præpositum &
Archidiaconum Berchtersgadensem & Ottin-
ensem, Dominum ac Patronum opti-
me de se meritum.

Gratulatio.

Homerus ille princeps Poëtarum cum vlyssem
tanquā exemplar boniac sapientis viri propo-
nere, & uiuis quasi coloribus depingere vellet,
inter cæteras eius virtutes, summum atq; singularē
in patriam amorem mirificè prædicans inquit: Ni-
hil eum magis in votis habuisse, quam ut tumum è
patrijs focis exilientē aspicere aliquando posset. Quę
quidē uox uno ore ab omnibus sanis, doctis, & ho-
nestis hominibus semper approbari commendariq;
meruit. Longum enim fuerit enumerare, quid Pla-
to, quid Aristoteles, quid Cicero, quid item alij præ-
stantissimi ac sapientissimi viri de amore ac pietate
in patriam scriptis suis laudatissimis proditum reli-
querint. Etenim si uis ac sensum naturæ ipsius con-
sulamus, quid nobis gratuis esse debet, quid per De-
um immortalem iucundius, ac præciosius hac ipsa
patria,

patria, cui parentes, ac maiores nostros, cui uitam,
sedem, opes atq; fortunas nostras, cui deniq; leges,
pacem, disciplinam cæteraq; incolumentatis ac digni-
tatis nostræ innumera beneficia debemus? Quærat
fortasse R. P. T. antistes ac patronæ coléde, quor-
sum hæc tam altè repetita commemorem? Evidē
in nullum alium finem, nisi ut ostendam, ea om-
nia, quæ de charitate patriæ prædicari possunt, cum
ad magnificam aulam tuam, hoc est, dom ciliū pie-
tatis ac virtutis, tum ad tuam adeò, Patronæ colende.
R. P. mihi referenda esse. Quippe h̄c tuis aulpi-
cijs, à primis ferè incunabulis, honestissimè educa-
tus, optimisq; vitæ institutis ac moribus conforma-
tus, & ad hæc ipsa humanitatis ac literarum studia,
sine quibus vita hominis quodammodo mors est,
adhibitus fui. Ac non solum principia studiorum
meorum R. P. T. debo, sed etiam qualescunq;
progressus hactenus per tenuitatem ingenij mei fa-
cerem mihi licuit, eidē gratissimo ac dediuissimo planè
animo, velut par est, ascribo. Tuo enim auspicio,
tuo hortatu, ac patrocinio Ingolstadium primum
perueni, ut illīc maiorem ingenij cultum caperem.
At tua adhuc singulari benignitate atq; beneficentia
totus dependeo, in tua pientissima paternitate, post
Deum optimum Max: Ipes omnes meas colloco
atq; defigo, dum in hoc studiorum meorum cursu,
quem

quem nunc in alma Vienensi vniuersitate prosequor, ad metam contendere summè gestio. Quare non immerito facere mihi videor, si R. P. T. Germani Patris loco agnoscam, si aulam illam tuam non minus virtute & disciplina, quam splendore & magnificentia florentem tanquam dulcissimam patriam exosculer. Idq; tantò magis, quantò ea beneficia, quæ hinc ad me demanarunt, maiora atq; præstantiora sunt, quam ea, quæ vel à parente meo, vel à lare illo, & domicilio nativitatis meæ accepi. Etenim quòd in hanc lucem aditus sum, & vita ac corporum constitutione fruor, his quidem tribuendum est: mentis autē excolendæ, quæ pars est corpore longè potior, ac diuinior, & vitæ recte instituendæ, id q̄dem viuere est, T. certè R. P. dux atq; autor mihi exitit. Accedit huc quòd ipse parens meus à R. P. T. tantis beneficijs affectus ornatus, atq; euectus fuerit, vt ab ea ipsa tam fundamenta rerum ac fortunarum suarum, quam incrementa traxisse videatur. His igitur de causis reuerende Domine Antistes, ac patronे humanissime, amens profectò sim, si non intelligam, quantum gratitudinis, quantum obseruantiaz, atq; amoris R. P. T. debeam: excors uero, & hyberna glacie torpidior, si hoc tempore non declarem, ac læticia, plausu & gratulatione in accelsione noui honoris tui, Præpositurę scilicet Ottingen-

B. sis,

sis, totus incalescam. Gratitudo certè cū omnes homines magnopere decet, tū eos in primis, qui se humanitatis & bonarum literarū studiosos perhibent. Hi enim dum veterum monumenta, dum rerū naturas perlustrant, inueniunt in ipsis animantibus ac feris bestijs mira quædam uestigia gratitudinis impressa: Inueniunt, inquam, etiam leones benēde se meritis gratiam habuisse: Inueniunt dulcissimum illud ciconiarum avianarum. In his enim avibus mirificè natura gratitudinis affectū ob oculos nobis posuit, dū parentes senio confectos humeris suis aquatum vehunt, cibis allatis fouent ac pascunt, identidē hospitibus illis, in quorum teatris nidificant, pullum semper discedentes pro gratitudinis symbolo relinquent.

Omitto cætera huius generis, quæ physiologorum libris nobis sunt prodita, ac breuiter concludo, id quod res est, mihi rectè videri gratitudinem matrem, originem & fontem esse omnium virtutum. Atq; hoc est nimirum, quod visitata lentētia fertur. Ingratum si dixeris, maledicta omnia dixeris. Si enim in uno ingratitudinis vitio omnium vitiorum fons atq; origo inest, econtra fieri necesse est, vt à gratitudine tanquam matre virtutes cunctæ producantur. Gratitudo est igitur, quæ nos docet pietatem, obediētiā, & cultum erga Deum, à quo creamur,

& con-

& conseruamur, & salute æterna donamur. Gratitudo est, quæ nobis Magistratus nostros, quæ præceptores, patronos, parætes charos atq; amabiles redit, eorumq; reuerentiam animis nostris ita inducit, vt ijs subesse, ijs parere, honorem, studia, atq; obsequia omnia præstare libenter & vltrò velimus. Gratitudine iusticia pariter & amicitia conseruatur. Hæc enim nunquam committet, vt inæqualitas aut in mercibus earumue precijs, aut in honoribus præmijsq; distribuèdis, aut in beneficijs remunerandis harum virtutum & necelitudinum harmoniā turbet. Quid temperantia? nonne tum rectissimè exercebitur, si intelligemus, nos in vsu donorum Dei reuerenter & summa cū gratitudine versari debere? Aut fortitudo, si sentiemus nos patriæ, nos parentibus, nos magistratibus nostris hanc pietatē & gratitudinem debere, ut pro ipsis fortiter ac strenuè propagnemus? Ab hac igitur virtute, imò matre virtutum vt dixi, qui discedere audeat, ac se turpisima ingratitudinis macula cōtaminare, is nonne dignus, qui ita fœdissimis Stygmatis muratur, quemadmodum miles ille in exercitu Philippi Macedonis, qui cum ex vndarū periculo seruatus, a hospitio à quodam exceptus fuisset, ibiq; per liberaliter habitus, à frigoris & vulnerum vi recreatus, & sanitati ac priuatis viribus restitutus, ausus deinde eiusdem hospiti,

B ij tis lui;

tis sui , à quo tanta beneficia acceperat , prædium à
Philippo rege rerum omnium ignaro sceleratè pete-
re, eoq; impetrato iustum Dominum , & non ho-
spitem , sed humanissimum conseruatorem suum
exturbare, dignum profectò sceleri suo præmiū rep-
perit. Philippus enim postea rem omnem edocet
candenti ferro tales notam eius fronti inuri iussit.
Hospes ingratus. O iustissimum regis iudicium.
Tales notas in fronte gerere eos omnes decebat, qui
adhuc detestandam ingratitudinis labem à se remo-
uere nondum satagunt. Et profectò hi iudicium di-
uinum non effugient, quod illis fieri comminatur
verbis Salomonis optimi ac sapientissimi regis: Nō
recedet malum à domo ingrati. Quare, Antistes Re-
uerende, vt ad rem redeam, cum agnoscam, quan-
ta pro immortalibus beneficijs tuis gratitudine me
R. P. T. obstrictum atq; obæratum esse oport-
teat, nullo modo præterire possum, quin eam qui-
buscūq; rebus atq; officijs fieri liceat, significare stu-
deā. Inter cætera verò gratitudinis officia, quæ qui-
dem patrono cliens suus præstare possit, non mini-
mum illud esse duco, si honore, dignitate, & fœlici-
tate eius ex animo lætetur, si idem gratulatione, cu-
ius à gratitudine ipsa nomen deductum videri po-
test, liquidò & significanter ostendat. Itaq; dabit mi-
hi R. P. T. hanc veniam atq; facultatem ap-
plau-

plaudendi nouis titulis & honoribus suis : dabit
aures faciles ac benignas, quibus voces istas gratula-
tionis meæ candidè & hilariter excipiatur. Etsi enim
R. P. T. pro singulari modestia sua non delecta-
tur strepitu magnificentiæ, nec in dignitate, amplitu-
dine, aut gloria , sed potius in ipsa virtute ac pietate
summum fœlicitatis gradum sapienter constituit,
imò potius oneris tantum sibi accedere , quantum
honoris accessit, rectè intelligit: tamen propterea ad
has gratulandi partes me cunctantiorum reddi mi-
nimè decet Cuius enim esset stuporis , aut impieta-
tis potius non lætari , ac summam voluptatem ca-
pere aucta atq; amplificata eius dignitate , quē pro-
pter amplissima merita vita ipsa mihi cariorem es-
se deceat? Est hoc animis & pectoribus nostris insi-
tum, est in intimis naturæ visceribus ingeneratum,
vt quemadmodum dolere , & acerbè ferre eorum,
qui nobis chari sunt, miserabiles atq; infestos casus,
ita exilire gaudio , & congratulationibus effundi in
eorundem secundis, prosperisq; rebus soleamus. A
quo sensu qui alienus est, is monstrum potius natu-
ræ, quam homo dici meretur. Ego uero qui huma-
ni nihil à me alienum puto, qui deniq; humanita-
tis ac virtutis studia ita semel amplexus sum , vt ea
& mentis meæ tabulis impressa habere cupiam, non

B iij possum

possum nō vehementer læticiā perfundi, ex hoc longe
optatissimo nuncio, quo R. P. T. dignā ha-
bitam esse intellexi, cui noui insuper honores, noua
prælatura, ac gubernatio demandaretur. Ac si for-
tas non finit hīc R. P. T. vt sibi priuatim gra-
tuler, certè Reipub. gratulandum est, quē talem gu-
bernatorem nacta est, qui religionis, honestatis, disci-
plinæ, legum, doctrinæ præsidia, atq; ornamenta
stabilire conseruare, propagare & velit & possit: gra-
tulandum est ipsis virtutibus, quarum laus accom-
mendatio publica quodammodo mihi efflorescere
videtur, dum R. P. T. hoc est, singulare, atq; di-
uinum maximarum virtutum receptaculum digni-
tate, & honoribus decoratur. O faustum illum di-
em, ô fœlicia suffragia. Norant illi nimirum, qui
R. P. T. hanc prouinciam iniungebant, quā ca-
stè integreque multos per annos in altera gubernatio-
ne tua versatus essem: Norant spectatam, & iam in-
grauescente ætate maturam prudentiam, grauitatē,
iusticiā, fidem, & dexteritatem tuam. Videbāt quan-
tum autoritate & gratia valeres apud summos quo-
que & principes viros, qui quidē illum ipsum Re-
uerendissimum atq; Illustrissimum Præfulem, Ar-
chiepiscopum Salisburgensem Dominum adeò cle-
mentem & benevolum experiris, ut te, quod dici-
tur, in sinu souere, & in oculis quodammodo ferre
videas.

videatur. Amat enim in te sapientissimus ac optimus ille Princeps singularem consilij grauitatem, inculpatam vitæ atq; animi integritatem, eximiam ingenij ac morum suavitatem: atq; his præclaris dotibus tuis sic delectatur, vt te in magnis ac serijs deliberationibus te in lenitate conuictus a consuetudinis familiariorum subinde adhibere, & requirere soleat. In quo miror, quam consentiat cū Agamemnonne illo Homerico, qui Nestorem sibi adiunctum esse a deo gaudebat, ut diceret, se optare plures habere secum Nestori similes: Miror quanta sit vis, atq; cœciliatio virtutis, quæ potius mirabiliusq; præstantissimorum hominum animos inter se consociat, copulat, atq; constringit, quam adamas ferro adglutinatur. Sed redeo ad institutum, ac, vt dixi, gratulor illi Reipublicæ, quæ R. P. T. habens suas permisit. Sentiet hæc atq; experietur re ipsa verissimum esse illud Platonicum, videlicet tunc beatas esse Respub. cū Philosophi imperent, aut ij, qui rerum summæ præsint, Philosophorum cōsilio videntur. Hi enim non imperitia labuntur, non ambitione & alijs cupiditatibus iactantur, vt res sursum ac deorsum misceant, aut ad priuatum commodū, quo nihil Rebuspub. perniciosius esse potest, cuncta referant, sed omnia moderatè grauiter, prudenter ad æqui boni q; normam exigunt, & salute ciui-

um,

um, vtilitateq; publici cūcta metiunrur. In quo tan-
tum abest, ut R. P. T. aut scientiarei benē geren-
dæ, aut voluntate, Philosophorum cuiquam cessu-
ra sit, vt etiam mente Theologica, ac pietate incom-
parabili Philosophicum ~~longe longe~~ longè luperatura es-
se videatur. Habet igitur te primum relligio vigi-
lantissimum ac fidelissimum patronū , & huc cu-
ras atq; cogitationes omnes tuas conuertes, ut glo-
riam Dei , vt Ecclesiæ salutē tam in ista noua Dio-
cæsi tua, quam in altera priore augere, propagare, &
promouere possis. Deinde vt pacatè, iustè, hone-
stè ciuium tuorum societas inter ipsos constet, pro-
uidentia atq; æquitate tua perficies. Præstabis etiā,
vt scholarum, quæ seminarium Reipub: atq; ecclæ-
siæ rectè dicuntur, ratio habeatur, & vt ij, quorum
ingenia aliquando ad frugem peruenire possint, nō
negligantur, aut idoneis præsidijs destituātur. Quid
multa? cū te geres, qui semper fuisti ac te ipsum imi-
taberis, vt pote à nullo alio rectius boni gubernato-
ris exemplum petiturus. Quem quidem me hercle
virtutes ipflæ sic congratulabundæ mihi iam cōpel-
lare videntur : O dulcissimum decus & ornamen-
tum nostrum. Tibi quidem istud laudi est, quod in-
cremento honoris tui, neq; extolleris , neq; delecta-
ris admodū. Eo enim impensius te diligimus, quod
nos nudas, ac sine yllijs precij, aut commodi spe se-
ctaris,

Etatis, existimans scilicet, id quod res est, etiam si nullæ externæ commoditates accedant, in nobis ipsis abundè tibi premium constitutum esse. Verum tamen nobis laetandum, nobis gestiendum, ac congratulandum est, quod cultores nostros in altum euectos videmus. Quòd enim pertinacius cæca illa Mundi regina volubili rotæ insistens, nobiscum belligatur, ac plerunq; indignos euehere, probos atq; industrios deprimere conatur: hoc magis nos id spectare, & in eo summò laetari conuenit, ut nostrarū legum obseruantissimus, quisq; fructu & mercede laboris sui non defraudetur. Atqui merces ea in honore & gloria potissimum consistit. Honos est, qui non artium solum, sed etiam virtutum studia alit, excitat, confirmat. Nec est, quod quenquam pigeat aut pœnitentia huius præmij. Etenim hic ordo diuinatus institutus est, ut recte facta honoris & gloriæ merces, tanquam umbracorpus suum consequatur. Vult enim Deus sic conspicere lucem illam discernenter turpia & honesta, quæ est norma quædam immota mentis ac sapientiæ suæ. Vult secundum hanc improbos & facinorosos notari ignominia absterre probro, et dedecore, coerceri pœnis atq; miserijs: contra vero gloriæ & fœlicitatum stimulis excitari proboru industriam, crescere ac corroborari virtutem conseruari, ac defendi honestatem: Deniq; vult

C autor

autor & conseruator omnis veritatis, honestissimas
quasq; actiones testimonio atq; eulogio suo, quod
in honore, & dignitate elucet, ornare, celebrare, ac cō-
mendare, commendatus apud omnes in admiratio-
nem, amorem, atq; emulationem ponere. Quare
minimè audienda est Cynica illorum Philosophia,
qui honorem & gloriam omnem aspernabile mel-
le debere disputant. Ali enim aspernabimur uerita-
tem iudicij diuini ? an testimoniu illud quod trans-
fuso in mentes nostras radio diuinæ suæ lucis ac sa-
pientiæ, tam de uirtutis præstantiæ, quam de vitio-
rum fœditate clarissimum ac sincerissimum extare
voluit, aut negligi, aut oblitterare patiemur ? Hoc ve-
rò non sit ~~ταπεινός~~, sed Deum ipsum superbè fasti-
dire, & contumelia afficere. Quare ut nō præter mo-
dum & rationem affectanda est gloria ac dignitas,
(habet enim ea Crocodili naturam, ac cupide teme-
req; insectates fugitat) ita cum iustè obtingit, ac pro-
rectè factis testimonio nos ornat suo, hoc est, iudi-
cio, & grauitatæ sententiæ diuinæ cōprobatos pro-
nunciat, certè ea nequaquam contemnenda, aut re-
pudianda erit. Hæc te ornatiissime Mystra noster co-
gitare oportet, ac in honoribus & præmijs istis vir-
tutum tuarum læta mente acquiescere, vt qui agno-
scas, te singulari prouidentia numinis his insigniū
esse primū, quo manifestius ac illustrius fiat iudi-
cium

cium mentis diuinæ, quæ rectè & præclarè agentes
honorati, in altum euehi, dignitate & bonis omni-
bus exornari vult, sicut econtra improbos deforma-
ri & in turpitudinibus ac probris volutari: Deinde
vt in memoria, ac scopo omnium actionum tuarū
illud assiduè obuersetur: ideoq; nimirum te in hoc fa-
stigio constitutum esse, quò benè mereri de Repub.
studeas, Ecclesiæ, & religionis curam geras, literarū
decus benignè, liberaliterq; tuearis. Quæ quidem
officia si strenuè tibi obeunda putaueris, nihil est q;
pro loco ac ratione honoris tui Deo gratius, nihil
quod societati humanæ vtilius, nihil quod ad illam
testem certè & comutem indiuiduam benefactorū,
semperiternitatē nominis puta, firmius gloriosiusq;
præstare poteris. Hæc si vna voce cunctæ ad te vir-
tutes loquantur, ecquid, Antistes Reuerende, futurū
est, ut te grauissima sua commonefactione permo-
ueant, humanissima congratulatione delectent? Sed
loquuntur profectò, loquuntur non modò vniuer-
sæ. Sed singulas adeò te circumstare, & partim col-
laudando, partim cohortando æquissimis tuis au-
ribus sese insinuare credas. Ac prima quidem Relli-
gio mater & dux reliquarum omnium virtutū v-
nicè gaudens tua in se fide, atq; obseruantia suas tibi
obedientissimo filio diuitias incredibiles, suas fœ-
licitates immensas, sua decora atq; ornamenta pla-

C ij nè diui-

nè diuina largissimè pollicetur, offert, exhibit, O et
verè sapientem ac beatum inquit, qui nihil habere
cultu meo antiquius in animum tuum induxeris.
Ego enim illa sum, quæ aduecta de cælo, ac per fili-
um Dei è sinu æterni Patre prolata, sola ancipites
mortalium vias dirigo, & lucerna sum pedibus eo-
rum, ne in tenebris erroris, ne in laqueis peccati &
mortis impliciter hæreant. Ego sum illa regina om-
nis sapientiæ, perfectio, anima, & lumen omnis do-
ctrinæ, consilij, atq; operis humani. Sine me frustra
est, quicquid omnis ingeniosorum hominum ve-
naturlabor. Frustra opibus, frustra honoribus, fru-
stra scientijs insudatur. Quid enim prodest, si hæc
omnia, quæ raro diuisa ac singula alicui contingunt,
vniuersim quis adeptus fuerit: at de salute animæ,
de hæreditate regni cœlestis adēunda nullam dū cer-
tam viam ac rationem cognouerit. Fluxa sunt, heu
fluxa sanè, caduca atq; momentanea, quæcunq;
mortales tanta contentione, tanto ardore, ac studio
sestantur: atq; in medio vitæ curriculo miseros nu-
dos, atq; inermes eos morti atq; exitio lempiterno
prostipuant, nisi consilijs, monitis, atq; præceptis
meis sustententur. Ego vulneribus peccati, terrori-
bus mortis, insidijs Satanæ, corruptelis Mundi, ille-
cebris carnis sola mederi noui, ac meum militem ita
instruere, armare, corroborare, vt cum tantis hosti-
bus

bus congregiens victoriam reportare, ac æternę beatitudinis particeps fieri queat Quæ res omnes huius Mundi thesauros, omnes delicias ac voluptates omnes glorias, Victorias, triumphos longè profectò exuperat. Quatenus igitur me colis, obseruas, veneraris, rectè sanè & prudenter, facis, qui ea cogites, quæ sunt ad salutem tuam, nec imiteris fatuas illas virgines, quæ cum securè oleum meum, hoc est sacrolanctam doctrinam, ac saluberrimos monitus negligerent, contemnerentq; postea, dum vacuæ earum lampades depræhenduntur, repente à sponso cœlesti omnibus vitæ gaudijs exclusæ sunt. Perge itaq; qua coepisti via, atq; hoc etiam atq; etiam vide, vt non modo te ipsum in studio pietatis exerceas, sed vt etiam Christi sacrum ouile tanquam fidus ac vigilas pastor benè regas, vt excubes aduersus vim luporum, & fraudes vulpecularum, vt lyncera atq; salubria pascua ouibus tuis proponas, vt noxia atq; venenata cuncta grauiter euellas. Memento illud assiduè, quantum onus ei incumbat, cui gregus præciolo Christi sanguine redempti cura demadata sit. Quantò maius est illud preium, tantò leuior ratio à commissi gregis procuratoribus exigetur: quanto leuior ratio exigetur, tantò impensis or cura adhibenda erit, ne hic iactura aliqua committatur. Verum quis tanta religionis, aut reliquarum virtutum

C iiij eulo-

eulogia satis oratione complecti queat? Video iam
astare Iustitiam, & mirificè collaudare P. T. quòd
te custode, te vindice ac defensore , æ quale ius vbiq;
apud subditos P. T. vigeat: quòd neq; gratia, neq;
preces, aut precium plus valeant, quam bonitas cau-
ſæ: quòd nemo seu pauper seu diues in iniurijs ac de-
lictis sibi impunitatem possit promittere: nemo bo-
nus atq; innocens violentiam aut oppressionē cu-
iusq timere necesse habeat. Fingant, inquit, Poëtæ
me hominum improbitate è terris exactam ad syde-
ra reuolasse. Ego certè quamuis multis ac magnis in
locis exul, tamen vel in tuis istis tractibus, in tuo An-
tistes optime, patrocinio rectè & suauiter conque-
sco. Tu nunquam permittes, vt te viuo ac supersti-
te, corā tribunali tuo plus malitia & calliditas, plus
~~prædacionem~~ aut prærogatiua cuiusquam possit, quā le-
ges ac sanctiones meæ. A stipulantur his mansuetu-
do, & clementia, & sibi quoq; bellè cum R. P. T.
conuenire prædicant, dum verè tanquam pius cle-
mens ac misericors pater in subditos tuos iustitiā
exerceas, vt tamen nec rigore, aut austeritate nimia,
nendum acerbitate quisq; à te premi aut vexari videa-
tur. Candidè enim & benignè te sanare omnia non
lædere, mitigare, non exacerbare, fouere non perdere
semper conari. Teeum esse, qui ad ignoscendū, qua-
tenus res ferat, promptus ac velox, ad puniendū tar-
dus

dus ac circumspetus sit, qui præterea in omni beneficètia ac humanitatis genere benè de omnibus præmeri studeat, qui deniq; affabilitate, commoditate, & lenitate incredibili sese apud omnes amabilem, ac charum potius, quam aut formidolosum, aut inuisum reddat. Quid iam de temperantia, & cognatis ei virtutibus dicam? Quæ cum huius sæculi luxuriam plusquam Sybariticam magnopere detestatur, cum immanes profusiones, helluationes, ac per�tationes istas, quibus orbis ferè cunctus nunc immersus est, vel bestijs ipsis indignas pronunciat, cum ostendit, atq; exagerat vehementer, quanti sit sceleris, tam irreligiole abuti creaturis & muneribus diuinis, affligere corporis valetudinem, prostrernere vires ingenij, exhaustire facultates, & paternos, auitos què census, porrò tantis dispendijs nihil aliud quam Tartareos cruciatus redimere, & cum brevi non voluptare, sed furore, atq; insania potius regni cœlestis gaudia commutare: tum verò amplissimè contra isthanc abstinentiam ac moderationem tuam cōmendat, qua perficis, vt neq; irreuerentius habeantur bonæ creaturæ, seu dona Dei, neq; crapula oneratus venter aut sanitatis robur imminuat, aut ad res gerendas ineptitudinem quandam inducat aut pietatis & castitatis studijs officiat: postremo vt neq; prodigalitati detur aliquid, aut ad luxum, aut in solen-

tiam,

tiam , pompam atq; fastum inanem compositum
appareat : sed vt omnia temperata frugalitate sic ad-
ministrentur, vt cum nihil necessitati, nihil elegantię
nihil amicorum honori , nihil bonorum indigen-
tię, nihil pauperum eleemosynis, nihil tamen etiam
opibus accopijs tuisdecedat ; sed vt eae tam ad usus
præsentes, quā ad augenda præsidia, atq; ornamen-
ta gazophylacijs abunde sufficientant. Iam ne circa om-
nia ad tedium usq; immorer, libet maximè referre,
quātuplē vel honori tuo assurgent, vel suum tibi
viciissim honorem commendent bonæ literæ. Ha-
rum vero suauissima voco te sic compellari purabis.

Oalumne, cultor, & patronē singularis studiorū
nostrorum. Quām merito de tuis honoribus omnis
hic virtutum lætatur chorus, tam & nobis iurē gau-
dendum atq; gratulandum est. Ut enim virtutum,
sic & artium bonarum studia semper coluisti. Neq;
verò hoc temerē fit, quod hæc ipsa studia in eodem
homine coniuncta reperiantur. Est hæc vis in do-
ctrina atq; institutione nostra, vt nisi mōstrosa pla-
nè ac distorta natura repugnet, homines probos, in-
dustrios , ac omni genere virtutis præditos efficiat.
Quare nostrum munus est , nobis debent hæc ipsæ
virtutes, quicquid ornamentorum in hac pulcherri-
ma indole tua excitarunt. Quò magis speramus, fo-
re, vt cum memineris, te qualis , ac quātus, quantus
es,

es, talem ac tantum ex nostra officina prodijisse, semper nos, id quod facis quidem, diligas, foveas, tuearis, ornes. Evidem quantum hoc ferreo atq; exulceratissimo saeculo non solum apud ignobile & indutum vulgus, sed etiam apud quosdam in superiore loco positos, nostri regnet ac dominetur contemptus, nemini est obscurum, qui praesentem rerum faciem non ignorat. Omnia vel gulæ, & ventri seruiunt, vel fucato strepitu ambitionis, vel inexplebili quaestus & nummi auditate plena sunt. Pietas, integritas, candor, honestas, inania nomina sunt. Et ut haec res pulcherrimæ, sic etiam nostrum decus vilescere, ac floccipedi coepit. Nihil aut sordido cerdoni, aut purpurato Mydae cum literis, dum modo quod aut quaestu suo corradat, aut luxu absumat, egregie suppetat? Interea iacent multa præclara ingenia, quæ si excollarentur, aliquando Reipub. sumno ornamento atque emolumento esse possent. Sed quia negliguntur turpiter, & necessarijs destituta præsidijs, tristissimo paupertatis onere succumbunt, fit, ut eorum messis tenera moriatur in herba. Quorum fortunam simillimam dixeris miserrimo illi Lazaro, qui ante fores impij epulonis iacebat, micas tantum petens de opipa ac splendida ipsius mensa decidentes. Verum & hoc misero denegabatur. Sic plane nunc famelicæ litteræ cum squallidis atque egenis nostris cultoribus hoc

D impe

impetrare non possumus, ut quod ex opulentia, lu-
xu ac splendore aliorum superuacuum decidi poterat,
ad nostram saltem inopiam subleuandam cederet.
O mores, ô tempora. An non eæ sumus literæ, que
conseruamus & propagamus sacrosanctum veræ re-
ligionis depositum? sine quibus nec conscribi, nec
intelligi, nec explicari diuina oracula potuere. At quod
oracula? Quibus sumus ille parés, & autor vniuer-
si miseris mortalibus arcanam & coelestem sapienti-
am suam, & admirandā numinis ac voluntatis suæ
cognitionem communicat, sine qua nemo ad salu-
tē peruenire, aut æternæ vitæ hæres fieri potest. Itaq;
ut huius cognitionis thesaurus conseruaretur, iam
inde vsq; ab initio, singulari Dei prouidentia literæ
religionis comites atq; custodes fuimus, & templis
sive tabernaculis Ecclesiarum scholæ nostræ adiun-
ctæ fuerunt. Ex scholis olim prophetæ, & eoru*m* dis-
cipuli diuinæ legis interpretes, ex scholis Basilij, Hie-
ronymi, Augustini, Ambroſij prodierunt, quorum
omnium hæc militia, hæc constans atq; perpetua con-
tentio fuit, vt religionem veram defenserent, orna-
rent, explicarent, vt voluntatis diuinæ salutarem no-
ticiam inter homines longè lateq; diffunderent. In
qua statione militantes, quantum literarum præsi-
dio adiuti fuerint, satis res ipsa præstantissimis ipso-
rum monumentis loquitur. Iam si reliqua perse-
qua.

quamur, in quibus omnis potissimum humanę vi-
tę cultus, dignitas, atq; incolumitas consistit, non-
ne vbiq; se offeret, effundet, elucebit literarū lumen.
Literæ morum decus informamus. Rempub. atq;
Oeconomiam saluberrimis rationibus & præceptis
instruimus. Historiam testem veritatis, nunciam ve-
tustatis, magistram vitę, vitam memoriae nostris
coloribus adornamus, & ex ea ceu diuite cornu co-
piæ admirabilem exemplorum varietatem suppedita-
mus, in quibus & iudicij ac prouidentiæ diuinæ
manifesta atq; illustria testimonia, & prudentiæ, cal-
litudinis imperitiæ, probitatis, improbitatis, atq; a-
deò totius vitę, & gubernationis humanę multiplici-
cum consiliorum, conatum, morum, occasionū
factorum, casuum diuersitate insignitæ, fœlices pa-
riter & calamitosi exitus, quid expetendum, quidue
fugiendum, quid sperandum, aut timendū sit, quo-
modo gratiæ & benevolentiæ diuinæ fauor retinen-
dus, quomodo feroce impetus intra septa reuocan-
di, & πολυπεγμένη, & confidētia, atq; audacia compri-
menda, graphicè demonstrant. Quid de Mathema-
ticis, quid de Physicis dicēdum? quæ profecto cun-
cta talia sunt, vt & societati, vitęq; hominum per-
multas utilitates adferant, & in admiratione, amo-
rem, atq; obseruantia numinis ipsius bonos & cor-
datos contemplatores rapiant, dum videlicet hunc

D ij muna

mundum non casu cœpisse, aut ex atomis confluxisse, vt volunt Epicuri de grege porci, sed ab æterna quadam mente architectrice mirabili cōsilio ac ratione conditum & formatum esse, clarissimis indicijs coarguunt, ac sapientiam, potentiam, & bonitatem illius infinitam planè oculis repræsentant. Porro quis dicendi finis erit, si de Medicinæ, de iuris ac legum prudentiæ, de artium earum, quibus orationis formandæ ratio continetur, dignitate, necessitate, atq; vtilitatibus immensis verba facere velimus? Solem profectò è mundo lustulerit, quisquis harū pulcherrimarum, atq; vtilissimarum rerū vim, speciem & decus, tollere velit. Aciam ille barbarie infinita, & tenebris plusquam Cymmerijs conjectam hominum longè miserrimorum, ac ne hominum quidem, sed pecudum vitam nobis reliquerit. Quare cum tanta sint munera, atq; ornamenta nostra, quæ ad cultum ac præsidium vitæ humanæ consecrimus, an non stolidi, atq; adeò icelerati illi habendi sunt, qui nos comtemnunt, præmunt, & vel iniquè fortunas nostras diminuunt, vel indignè destituunt. Verum ab horum agresti, & Cyclopicam importunitatem longè tua, Pater colende, dissentit ratio, qui & ipse literarum studijs tātopere inuigilasti, vt doctrinam haud vulgarem consecutus sis: & præterea magno fauore complectaris, amplissimis beneficijs

cijs ornas, promptissima liberalitate fontes eos , qui
aut nomine eruditionis clari iam sunt , aut ad eandē
iugi atq; nidefesso studio aspirant. Qua in re vt stre-
nuè pergas, propone tibi illa quæso, quæ suīna atq;
immensa sunt, immortalitatem nominis, quā dant
literæ cultoribus ac patronis suis vtilitatem, necessi-
tatem, decus salutem Reipub. atq; Ecclesię, que qui-
dem promouet ille, qui literas promouet , fauorem
& gratiam Dei omnipotentis , ad cuius vineam ex-
colendā è literis ac scholis nostris operarij emittendi
sunt. Hanc antistes ac Patrone Reuerende, cum alia-
rum virtutum, tum etiam postremò literarum vo-
cem aures tuas inclamare subinde memineris. Qua-
rum cum haud dubiè grauissimam autoritatem a-
gnoscas ac magnificias, ego quoq; illarum nomine
& verbis me R. P. T. humiliter comendo. Ego
is sum, pro quo ex parte intercessisse, & hæc locutæ
literæ esse videntur: quippe qui in earum studia tuo
ductu, tuo auspicio , atq; hortatu ingressus sim , in
ijsdem verò progredi , & præclarum aliquid conse-
qui nunc adeò cupiam , vt vitam mihi acerbam pu-
tem, nisi voto meo potiar. In quo T. R. P. au-
xilium meritò sperare atq; implorare debeo, vt eodē
autore atq; adiutore confirmetur, & ad finem op-
tatum perducantur mea studia, quo auspice ac duce
ea primū inchoata fuerunt. Sanè R. P. T. & per

D iii se præ-

Se præstare multum poterit, quo minus honesti co-
natus mei subsidijs necessarijs defraudentur, & apud
Reuerendissimum ac clementissimum Dominum
nostrum, Archiepiscopum Salisburgensem, apud
quem autoritate & gratia plurimū valet, me sic de
meliore nota commendare, vt Illustrissima ipsius
celsitudo studia humillimi sui clientuli patrocinio
munificentiae suæ complecti, ac promouere non de-
dignetur. Quod quidem cum pium, & Deo gratū
opus esse R. P. T. pro sua sapientia, multò quam
ego melius intelligit, tum si quid opera ac diligen-
tia mea in bonis disciplinis aliquando profecero, id
vt ad patriæ, eiusdemq; Domini ac Præsulis Reue-
rendissimi, iuxta ac R. P. T. dignitatem, vtilita-
temq; summa cum obseruantia, ac gratitudine refe-
ratur, modis omnibus elaborabo.

Andreæ Charopi Au- STRIACI LANGENLEYSEN- sis epigramma in Momum.

Q *Vid non lingua mali fingis suffusa veneno?*
Multa tuis pereunt oppida saepe dolis.
Dente Theonino multorum multa reprendis
Scripta; nec hinc similis desnis esse tui.

TVL.

TVL LIV S eloquij princeps, tuba, fons & origo
Carpitur indignè, Liuor acerbe, tibi.
EV A N D R I mater quòd si de morte resurgat,
Non tua deuitet spicula felle lita.
Ausus es infelix vatem Colophonis alumnum
Sæpè importunis dilacerare modis.
Præterea inuidiæ stimulis Oestroq; subactus
Ascreum rabido dente notare senem:
Quos tu nec poteris virtute æquare, nec arte,
Liuor iners mentis degenerantis opus:
Sint licet illorum monumenta ornata nitore
Perspicuo, Charitum delitijsq; pijs,
Et sale Mercurius niueo, dulciq; lepore
Condierit: te non carpere tanta pudet.
Cur luueni sua scripta audes reprendere nostro;
Cum tamen his nequeas splendidiora dare?
Nescio quos næuos, putres rubigine dentes
Dum furiose teris, non tolerare potes.
Parcere si non uis alijs, saltem tibi parce,
Hosq; tua mores exue mente, precor.
Nunc (moneo) cessant odiosæ uerbera linguae,
Teq; ipsum, qui sis, noscere disce prius.
Lædere sed fœcunda nisi tua lingua malorum
Desinet insignes relligione uiros.
Fortè pijs aliquis, dignas pro talibus ausis
Qui pœnas statuat, manibus vtlor erit.

F I N I S.

